



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *TEMPLUM ISTUD* TEMPLUM FAMILIAE SACRAE DICATUM  
INTRA ARCHIDIOECESIS NAIROBIENSIS**

**FINES AD TITULUM HONOREMQUE BASILICAE MINORIS PROVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Templum istud praeclarum Familiae Sacrae dicatum intra Archidioecesis Nairobiensis fines, quod merito quidem ob structurae modum artisque christianae ornatum necnon ob frequentis populi cultum ac pietatem reliquas eminet inter eiusdem communitatis sacras aedes insigne, non sine optima omnino causa Venerabili Fratri Nostro Mauritio S. R. E. Cardinali Otunga, Archiepiscopo ipse Nairobiensi, visum etiam dignum est et idoneum quod veluti primum eius modi aedificium cohonestaretur Basilicae Minoris titulo. Provida igitur mente Praesul ille ab hac expetivit Apostolica Sede ut talis usquequaque dignitas gregis sui adiceretur Ecclesiae Cathedrali, plane videlicet confisus magnam exinde proventuram esse cleri ac populi sui utilitatem. Quibus Nos libenti animo precibus obsequentes atque accipientes simili voluntate sententiam Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino statuimus harum Litterarum vi Nostraque potestate apostolica ut quod supra commemoravimus templum Deo consecratum in honorem ipsius Sacrae Familiae legitime ad titulum provehatur honoremque Basilicae Minoris et augeatur simul universis iuribus ac privilegiis quae aedibus illo insignitis nomine rite recteque conveniunt. Praecipimus tamen ut omnia et singula ea observentur quae per Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Junii anno MCMLXVIII foras datum adserventur oportet. Contrariis quibusvis rebus nequam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Februarii anno MCMLXXXII Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1982  
- Libreria Editrice Vaticana

---